

Die Urkunden Karls des Großen, 311

In nomine domini dei eterni et salvatoris nostri Iesu Christi. Karolus divina ordinante providentia imperator augustus. Imperialem celsitudinem decet predecessorum suorum pie facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censure sue auctoritate alacriter confirmare. Idcirco omnium fidelium nostrorum comperiat industria tam presentium quam futurorum, quia vir venerabilis Albinus abbas monasterii sancte Marie de Sexto detulit nobis inter ceteras auctoritates quoddam preceptum predecessorum nostrorum regum et ab eisdem confirmatum, in quo scilicet conscriptum reperimus predictum monasterium in eorum reverende tuitionis auctoritate fore constitutum, humiliter deprecans, quatinus sub eadem immunitate nostram adderemus auctoritatem, per quam idem monasterium nostro imperiali patrocinio semper quiete consistere valeret. Cuius quidem precibus nos assentientes hanc nostre auctoritatis preceptionem circa idem monasterium [fieri] decrevimus, per quam firmiter sancimus alque summo studio indicimus, ut ecclesia monasterii sancte Marie Sextensi cum rectoribus suis rebusque ipsius in quibuscumque locis vel territoriis positis tam de largitione regum quam ducum aut iudicum seu aliorum divinam remunerationem intuentium, quam nunc possidere dinoscitur vel inantea acquirere potuerit, sub nostra imperiali defensione nostris futurisque temporibus permaneat. Insuper etiam, quod nullus [iudex] publicus [in] curtes vel villas seu cellas aut quelibet predia ipsius monasterii, tam que infra regni nostri ditionem nunc tenet quam que deinceps deo annuente acquisierit, ad causas audiendas vel placita exercenda vel freda exigenda seu hospitalitates faciendas aut fideiussores tollendos aut homines ipsius ecclesie ingenuos vel servos super eiusdem terram residentes distringendos nec ulla redditiones vel illicitas occasiones requirendas ullo umquam in tempore ingredi audeat, edicto imperialis maiestatis decernimus et decernendo omnino interdicens; ceterum memorato abbati suisque successoribus res predicti monasterii sub nostre defensionis examine absque omnium molestatione liceat possidere et quicquid exinde fiscus noster potuerit sperare, id eidem ecclesie omni modo pro respectu divine recompensationis illari animo concedimus, ut in elemosinis pauperum et in stipendiis monachorum ibidem deo deservientium cottidie proficiat in augmentum atque eorum oratio pro nobis acceptabilior interveniat ad dominum. Et si quando divina institutione supradictus abbas vel successores eius ab hac luce migraverint, fratres ex sua congregatione communiter abbatem, qui eos secundum regulam regere valeat, eligendi licentiam habeant. Admonemus etiam abbatem qui presto est eiusque successoribus imperialiter contradicimus, ne res stipendiarias alienis monachis dedicatas de sinu monasterii raptent et secularibus vel alicui in beneficium tribuant, quia pia religio proclamat, ne servi dei tabescant inopia et qui non debent ditescant copia. Si quis autem abbas incaute aut temerarie quod sanximus profregerit, quod iniuste tribuit, iuste auferat et membrum fractum diminute consolidet. Quod si male facta in melius reformare voluerit et nequiverit, superstes eius nostra nostrorumque successorum sententia roboratus emendet, quod suus antecessor admisit. Adhuc etiam placuit nobis de famulis eiusdem monasterii diffinitiones facere, videlicet de feminis liberis vel famulabus aliarum ecclesiarum scilicet maiorum vel minorum, que ex famulis predictae ecclesie [vel] monasterii voluntarie copulaverunt, [ut] per huius nostri precepti auctoritatem sine omnium contradictione sanctus locus inviolabiliter possideat. Verum si quis amodo, quod futurum non credimus, patriarcha vel episcopus vel dux vel marchio vel comes seu aliquis publicus administrator aut privata persona adversus nostri precepti scripta insurgere aut qualibet occasione violare presumpserit, quinquaginta libris auri puri et probatissimi se cognoscat

esse puniendum, medietatem eidem ecclesie solvendo et medietatem palatio nostro. Et ut hec imperialis precepti concessio certius credatur et per futura tempora diligentius summa observatione teneatur, manu propria subscripsimus et anuli nostri impressione sigillari iussimus.

Signum (M.) domni Karuli gloriosissimi imperatoris.

Petrus cancellarius in presentia ipsius imperatoris scripsi.

Data quinto idus aprilis anno dominice incarnationis septingentesimo quinto, indictione quinta decima; actum in Aquilegia; in dei nomine feliciter amen.